



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

1. Qvomodo sit cognoscendum, quod in aliquo præcepto detur, vel non detur parvitas materiae. Ex p. 5. t. 5. r.1.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

TRACTATUS TERTIVS DE PARVITATE MATERIÆ.

RESOLVTIO PRIMA.

*Quomodo sit cognoscendum, quod in aliquo præcepto de-
tur, vel non detur parvitas materiae? Ex part. 5. tr. 5.
Resol. 1.*

§. 1. **L**IBET huic dubitationi respondere cum verbis Nicolai Baldelli in *disp. Theolog. tom. 1. lib. 1. disp. 14. num. 13.* ubi sic ait. Ad dignoscendum utrum detur in aliquo præcepto, aut eius transgressione, materiae parvitas & culpa leuitas, an verò omnis materia sit censenda notabilis, & omnis transgressio grauis, optimum videtur, si in obiecto formali non confundatur ratio, quæ dicitur pro se prima, quia scilicet & ipsa per se, & ratione sui per actum attingitur, non autem ratione alicuius alterius, quæ intelligatur attingi prius, & ratio, quæ dicitur per se secunda, quia attingitur ita per se, vt tamen attingatur ratione alicuius alterius, quæ intelligitur attingi prius, vt fufius explicatur ex phisicis, quando agitur ad *rexi. 33. lib. 2. de Anima*, de specificatione potentiarum per actus, & actuum per obiecta: si enim ex ratione ipsa obiecti per se prima oriatur notabilis oppositio ad virtutem, & malitiæ grauitas, non poterit in illo obiecto dari parvitas materiae, & leuitas culpæ: si verò oppositio notabilis, & grauitas culpæ solum oriatur ex ratione obiecti per se secunda, non autem ex ratione per se prima, omnino dabitur materiae parvitas, & culpæ leuitas, & hoc modo, quia ratio obiecti per se prima in actu furti, v.g. est, quòd res, quæ accipitur, sit aliena, & ex hac ratione per se accepta, & præcisè considerata, non oritur oppositio notabilis ad iustitiam, & culpæ grauitas, sed hæc solum oritur ex eo, quòd res aliena sit notabilis, & notabiliter faciat ad vsus vite, quæ potest dici ratio obiecti per se secunda, rectè dicitur, quòd in furto detur materiae parvitas, & culpæ leuitas, & contra, quia ratio obiecti per se prima in actu in fidelitatis est, vt fides negetur ipsi Deo aliquid reuelanti, & ex hac sola præcisè considerata fundatur oppositio grauis ad virtutem fidei; & malitiæ grauis: non dicitur quòd in actu in fidelitatis possit dari materiae parvitas, & culpæ leuitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit grauis, etiam si alioqui in se ipsa sit res minima. Vide etiam si alioqui in se ipsa sit res minima. Vide etiam Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 1. c. 4. n. 2. & 3.* Suarez de *legibus, lib. 2. c. 28. n. 68.*

2. Sed circa supradicta habet aliquam difficultatem Castrus Palaus *tom. 1. tra. 7. 2. disp. 2. punct. 7. n. 2.* quam videre potes penes ipsum. Vnde existimat ex communi sensu Ecclesiæ & fidelium desumendam esse grauitatem aliquarum rerum, & aliarum leuitatem, quæ autem hæc sint, suis locis examinandum est; fundatur autem hic sensus Ecclesiæ in naturis ipsarum rerum, aliqua enim ita de se inordinata sunt, vt in qualibet materia reputentur grauissima, quales enim idololatria, simonia, iuramentum falsum, infidelitas, despectio, odium, & contemptus Dei, irritatio Sacramentorum, homicidium, pollutio, fornicatio, & similia de se grauem inordinationem habent, & in quacumque materia constituantur, non variant iudicium; alia verò

ita leuia sunt, vt nisi ex aliquo accidenti extrinseco grauia esse non possint, vt verbum otiosum, scurrilitas, & alia huiusmodi. Alia verò, quæ esse de se grauia sunt, non semper æqualem deordinationem habent; vt furtum si fiat in magna, vel parua quantitate, variat enim multum iudicium. Ita Palaus. Verum pro nostro instituto his suppositis ad casus particulares deueniendum est, quos non sine maximo labore in gratiam Studiosorum collegi; ideo quæro:

RESOL. II.

*An parua materia diuersorum præceptorum, coalescant in vnum, & efficiant quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam?
Et quid, si ad omnia hæc obligetur ex diuersis votis, & pro eodem die?
At an, quando quis vouit indeterminate pro aliquo die audire, v.g. tres Missas, & ex qualibet earum omittat partem non notabilem, an inquam, peccet mortaliter? Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 42.*

§. 1. **V**T si in die festo incidat ieiunium, & consequenter quis teneatur eo die ad ieiunandum, ad audiendam Missam, ad non laborandum, & si est Clericus in factis, ad recitandas Horas Canonicas; an, inquam, si ex singulis his obligationibus modicum quid omittat, ita vt omnia illa modica quantitatem notabilem efficiant, peccet mortaliter? Respondendo negativè, quia nullum præceptum in materia graui transgreditur, sed multa, singula tamen in leui materia. Et ita docet Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 1. c. 4. n. 16.* qui tamen limitat hanc sententiam, & putat secus dicendum esse, si quis ad omnia hæc obligatus sit ex diuersis votis, & pro eodem die.

Super hoc infra in tr. 4. ref. 116.

2. Sed hæc limitatio mihi non placet, quia non est differentia inter transgressionem voti, & præcepti Ecclesiastici, cum votum obliget eo pacto, quo obligat præceptum Ecclesiasticum de eadem re, vt docet Caetan. in 2. 2. q. 88. a. 1. 1. Sotus *lib. 7. q. 2. art. 1.* Corduba in *sum. q. 188.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4.* Atagon. in 2. 2. q. 88. art. 3. concl. 3. Nauar. in *sum. c. 12. n. 65.* & alij. Ergo si non est mortale, secundum Sanchez, transgredi multa præcepta Ecclesiastica in re leui, neque erit mortale transgredi plura vota.

3. Sed quid dicendum, quando quis vouit indeterminate pro aliquo die audire, v.g. tres Missas, & ex qualibet illarum omittat partem non notabilem, an, inquam, peccet mortaliter? aliqui affirmatiuè respondent, quia sunt partes materiae eiusdem rationis; ergo possunt continuari ad constituendam quantitatem notabilem.

Sup. hoc infra ref. not. præteritæ, ex doctrina §. vitæ.

At his non obstantibus, puto probabilem esse contrariam sententiam, quam apertè videtur tenere Suarez de *Relig. to. 2. lib. 5. cap. 5. n. 12. & seq. lege illum, & non pigebit.*

RESOL. III.

An plures parua materia coalescant in vnum, vt materia grauis ad mortale sufficiens euadat?

C 4 Eo